



Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum

Sfondrati, Celestino

[Sankt Gallen], 1684

§. VI. Calvinistis & Lutheranis non favere Propositiones Parisiens. quò
causam suam meliorem faciant, Catholicorum verò pejorem reddant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63125)

corum erasse, & ab Imperatore correctos: ergo & Catholici turbati, nec Hæretici ad fidem conversi, immo recenti victoriâ implacabiles facti. (a) Eâdem ratione eodémque eventu Zeno Imperator *Henoticum* seu Decretum unionis: *Constantinum*: Carolus V. constitutionem *Interim* vocatam, eo prætextu, ut omnes Christiani in unam eandémque fidem convenirent, ediderunt; nullo tamen alio effectu, quam ut ipsi Catholici inter se concurrerent, fluctuarentque; hæretici verò discordibus insultarent, eorúmque pugnas suis victoriis adderent. (b) Ergo nullibi, quàm in materia Religionis verius est Politici monitum: *Mediam viam pessimam esse, quæ nec amicos parat, nec inimicos tollit.*

§. VI.

Calvinistis & Lutheranis non favere Propositiones Parisienses, quò causam suam meliorem faciant, Catholicorum verò pejorem reddant.

Summaria.

1. Propositiones Parisienses non tantum Calvinistis non favere, sed plurimum adversari.
2. Semper in Ecclesia, ante ultimam definitionem de variis dogmatibus contentiones fuisse.
3. Salvâ tamen fidei unitate, ac integritate.
4. Secus apud Calvinistas, aliosq; Reformatos, quibus, cum nulla sit certa & indubitata credendi Regula, omnia incerta & dubia sunt, & consequenter nulla fides divina.
5. Quod luculento exemplo probatur.

M 2

I. Hoc

(a) Vide Baron. ad annum DLIII. & ibi Leontium de sect. act. 6. & 7. quem citat Damascenus lib. 3. cap. 3. cap. 11. de vide Orthodoxâ.

(b) Vide P. Maymb. in historia Lutheranismi lib. 5. fol. 192.

Hoc habet omnis falsa mendaxque religio, ut cum nulla re propria commendetur, gloriam sibi pretiumque ex rapto quærat, nostris tantum damnis felix, nostrisque sordibus pulchra; muscas ergo noctilucas imitantur, tunc solum claras, cum alicubi tenebræ sunt. Enimvero ubi primum propositiones Parisienses vulgari cœpère, quantum gaudii pompæque apud Reformatos nostros fuerit, expugnato jam velut Vaticano, Romanoque Pontifice in triumphum ducto, haud facile exprimam, adeo somniis umbrisque delectantur, ubi veritatem amisere. *Miseri!* ut Prophetæ verbis utar, *qui letamini in nihilo!* Propositiones Parisienses, quibus causam vestram munitis, non sunt illæ ipsæ, quæ in vos maximè vestramque Religionem armantur: illæ Primatum Petri Romanoque Pontificis profitentur; illæ Concilium Constantiense, quo vestri errores plerique damnati sunt, venerantur; illæ Unitatem Catholicæ veræque fidei in cathedra Petri velut in centro collocant; & denique illæ sunt, quæ cardines vestros, ac fundamenta convellunt: frustra ergo ab iis præsidium quæritis, qui tam enixè in vos pronuntiârunt. Aut ergo propositiones Parisienses veræ sunt, aut falsæ? si falsæ, cur illas contra nos vertitis? falso veritas non vincitur. Si veræ, cur illas non recipitis, & cum illis Primatum, Concilia, Romanamque Ecclesiam? infelix est vestra Religio, si aut vero repugnat, aut falso sustinetur. *Recipimus, inquit, in Conventu Parisiensi decreta, sed pro ea tantum parte, quæ nobis favet, pro alia rejicimus.* Sic est, arbitrio vestro sedet, quid falsum verumque sit; veritas erit, quæ vobis arriserit, falsitas nisi arriserit; egregiis enim verò testibus causam vestram fulcitis, quos & falsi postulatis, & in rem vestram adducitis; *errant, falluntur, veritati adversantur, credit tamen illis volumus, fidemque præstari.* O jura legesque Romanæ! quis unquam his testibus causam dixit & vicit? sed demus hoc Calvinistis, habeant Patres Parisienses doctrinæ suæ testes; habemus planè & nos Catholici testes Doctrinæ nostræ; quid ergo contra nos lucrantur, cum plus pro nobis, quam contra nos, aut saltem tantum pro nobis, quantum pro ipsis dicant? Si ergo hos testes recipimus, aut pares nos, aut victores sumus; immo victores, nam quæ contra sententiam nostram scribunt, ad fidem non pertinent, re nondum decisâ, dicem-

diremptâque : quæ verò contra Calvinistas Patres Parisiens. decernunt, utique fidem & dogma spectant toties in sacris litteris expressum, in Conciliis definitum, & à tot retrò seculis, quot à Christo ducuntur, in Ecclesia receptum, ut infra docebitur.

II. Sed, *inquiunt*, ubi est illa unitas, & consensus doctrinæ, quam toties Catholici contra Lutheri Calvinique asseclas jactârunt? *Respondeo*, unitatem doctrinæ non in eo esse, ut nunquam in Ecclesia lites pugnæque opinionum nascantur; pax ista nullis bellis turbata, Ecclesiæ triumphantis, non militantis est: quæ major unio, quàm quæ corpus animæ adstringit? & tamen quantæ utriusque luctæ, & affectuum discordantium quotidiani tumultus! si ergo nec anima cum suo corpore, nec secum semper convenit, quid mirum est in Ecclesia diffidia esse, ubi tot corpora sunt, tot animæ, tot mentes, tot affectus? salvâ tamen semper fide, ac obedientiâ summo judici debitâ, ubi sententiam edixerit: quamdiu enim intra velum hæc latuit, nec edita est, constitari partibus licet, neque hoc culpæ adscribitur, sæpe tamen damno. Percurre historiam Ecclesiasticam, videbis meritò Ecclesiam à Spiritu sancto *lilio inter spinas* componi, nunquam enim, aut rarò sine spinis fuit, quæ amicum hunc florem eodem mucrone pungerent quo protegebant, hoc est, inter ipsos Doctores, qui Ecclesiæ præsidio & custodia sunt, sententiis calamisque certatum est. Sub ipsis Ecclesiæ initiis, Christus Dominus vix ad cælos excesserat, inter ipsos Apostolos primosque fideles, quamvis Spiritu Sancto plenos, recentique doctrinâ à Christo imbutos, quàm aere certamen fuit, & opinionum discordia de Legalium observantia? *Act. 15.* De eodem argumento ingens inter Petrum & Paulum contentio fuit, uterque tamen Spiritu Sancto abundabat. *Ad Gal. 2.* An in SS. Trinitate dici tres hypostases deberent, diu inter sanctissimos Orientis & Occidentis Episcopos dimicatum est, adeò ut B. Basilius, alioquin modestissimus, hæresis notaret Occidentales, qui eas voces admittere recusabant, quòd crederent idem esse hypostasim, quòd substantiam, nixi auctoritate Concilii Nicæni, anathema in eos dicentis qui assererent, *Filium esse ex alia Usia, vel Hypostasi.* (a) Hæreticos omnes re-

M 3

bapti-

(a) V. S. Basil. ep. 78. & ep. 1. in addit. & ep. 10. S. Hieron. ep. 57. ad Damas.

baptizandos esse multi Africa, & Orientis Episcopi censuerunt, pietate ac doctrinâ insignes, quorum agmen B. Cyprianus duxerat, nec prius pax inter Catholicos facta, quam Stephano Papâ litem dirimente, cuius etiam sententiæ Cyprianus tandem acquievit. (a) Ortâ Semipélagianâ hæresi, certum est, re in Ecclesiâ necdum satis illustratâ, aut decisâ, multos sanctitate ac doctrinâ insignes viros ei adhæsisse, ut testatur S. Prosper *Epistolâ ad Augustin. & Callian. collat. 13. cap. 7. & c. 8. & 9.* inter quos numerantur Gennadius, postea Episcopus Massiliensis, Severus Sulpitius Episcopus Bituricensis, immò, ut multis probare nititur Vasq. *1. p. d. 91. cap. 8.* S. Joannes Chrylostomus.

III. His ergo exemplis palàm est, fuisse in Ecclesiâ inter viros sanctissimos, & de rebus gravissimis crebras longasque contentiones, salvâ semper fidei unitate, quam omnes profitebantur; hæreticus enim non est, nisi qui pertinax, & certæ veritati obtinens: pertinax verò non est, qui non convictus, & sententiâ necdum à iudice prolata litem adversatio intendit; cum ergo nec veritas satis expensa, & oculis objecta esset, nec sententiâ adhuc prolata, extra hæresin erant, qui dimicabant, immò ipsa dimicatio tantò illustriorem veritatem reddebat rationibus utrimque collatis, & quantum haberent, aut non haberent virium, in acie & pugna prodentibus. Eadem ergo Patrum Parisiensium, & eorum qui illis obstant conditio est: propositiones, quas illi tuentur, necdum in Ecclesiâ damnatæ sunt, non ergo fidem adhuc tangunt; intra aram configitur. Si ergo nihil fidei veræque Religioni nocuit, quòd inter Apostolos de observantia Legalium; inter Orientem & Occidentem de tribus hypostasibus; inter Cyprianum & Stephanum de Baptismo hæreticorum; inter Clerum Massiliensem & Orthodoxos de Gratia Dei, diu multumque certatum est, cur eidem unitati noceat, si de Pontificia auctoritate à Patribus Parisiensibus excitata, aliqua quaestio sit? nondum habent propositiones Parisienses tot à sanctitate, à doctrinâ, à Conciliis suffragia, quot Cypriani opinio: hanc tamen tot præsiidiis munitam vicit Stephani Papæ sententiâ.

Idem

(a) S. Augustin. epist. 48. ad Vinc. & de Bapt. contra Donat. lib. 2. cap. 4.
Vide etiam Vincent. Lirin. adversus hæreticor. novitates. cap. 9.

Idem in nostra tantò meliori causa, ut postea videbimus, sperandum est, Gallis non Zelum & doctrinam tantùm Cypriani, sed etiam pietatem, agnoscendæ veritatis parendique studium imitantibus. Calvinistæ ergo, cum nobis dissidium Parisiense objiciunt, tantum eis lucri accedit, quantum si primitivæ Ecclesiæ, quam ipsi quoque veram sanctamque profitentur, Apostolorum Cypriani, Basilii, Patrum Ariminensium ac Massiliensium dissidia objicerent.

IV. Illud verum est, ingens discrimen esse inter domesticas pugnas, quæ inter Catholicos, quæque inter Calvinistas feruntur; istorum enim sunt de summa rei, nec tamen finiri apud illos componique possunt, omni judice, qui pronuntiet, sublato: unde nulla apud ipsos fides divina est, sed merè humana, incerta, anceps, & agitationis plena, à qua facilis omnino, & prona ad nihil credendum migratio. Quid enim magis ad essentiam, & necessitatem fidei pertinet, quàm isti articuli; Videlicet: *quam Scriptura sint verum Dei verbum, quæ non: qui verus Scriptura sensus, qui non: ex sensu enim Scripturæ malè accepto omnes hæreses profectæ sunt, plerique enim Hæreticorum non circa litteram Scripturæ, sed circa sensum errabant: quot, & quæ Sacramenta sint necessaria saluti: ubi, & quæ vera Ecclesia, extra quam nemo salvatur &c.* In his, inquam, tam necessariis, nulla potest esse Calvinistis, & Lutheranis certitudo, & consequenter neque vera fides; apud illos enim & Concilia, & Patres, & Traditio, & Papa, & Miracula, & Ecclesia errare possunt, & certum nihil habent; unde ergo illis certitudo, quâ credunt? *A scriptura, inquit, quæ nec falli, nec fallere potest; hæc judice, nec alio utimur.* Miserum, & deploratum refugium!! scriptura quidem nec fallere potest, nec falli; sed falli vos circa scripturam, & fallere potestis, ut Ariani, ut Pelàgiani, ut Macedoniani, ut Anabaptistæ, ut Patres Ariminenses, Africani, Massilienses, aliique, qui omnes tunc maximè in scripturis errabant, cum scripturis utebantur; quæ ergo sciam vos minùs in scripturis, quàm Arianos errare; aut cur vobis vestræque assertioni majorem fidem, quàm Arianis adhibebo, utrisque scripturas prætextentibus? aut quibus ex signis vestram Ecclesiam meliorem esse credam, quàm Arianorum? Date quæso aliquod signum, quo vestra Ecclesia melior, quàm tot hæreticorum appareat. Non habetis miracula, non

Eccle-

Ecclesiæ perpetuitatem, non missionem Ministrorum, non florem sanctitatis, non Concilia, non Universitatem (in angulo enim latetis) non donum continentiae, non abnegationis, non denique ullam ex notis illius primitivæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, quam veram fuisse nec vos negatis; unde ergo agnoscam apud vos veram potius Ecclesiam, verumque scripturarum intellectum, quam apud alios hæreticos esse? Deinde si, ut dicitis, & Concilia, & Patres, & Ecclesia circa verum scripturæ sensum errare possunt, ergo & multo magis errare vos potestis, qui nec tantum studii, nec tantum doctrinæ, nec tantum pietatis, quantum illi, habetis; si ergo errare potestis, unde vobis, unde mihi constat, vos non errare? & si non constat, ergo nihil certi apud vos est; & si nihil certi, ergo nihil veræ divinæque fidei; quæ si est, certa est; aut si certa non est, nec fides est. Si scriptura Sole clarior est, ejusque sensus neminem latet, modò, ut dicitis, oculos aperiat, an omnes hæretici hoc non dixere? ecquid ergo causæ est, ut dicatis, tot antiquos Patres, tot Concilia, ipsamque Ecclesiam errasse, nec ea vidisse quæ Sole clariora sunt? sic ergo hæc scripturæ claritas non illos ab errore exemit, quantum minùs vos? nulli planè persuadebitis plus lucis in Sole noctuas, quam aquilas spectare. Plurimi apud Calvinistas sunt, qui litterarum ignari legere scripturas non possunt; isti fidei suæ certitudinem unde, & à quo habent? à scripturis? nunquam illas legerunt; à Ministris? unde sciunt se ab istis non falli; felices nimium sunt Ministri vestri, si Patribus, Conciliis, Ecclesiâ errantibus, ipsi soli immunes ab erroribus, & securi sunt; ridiculi vos, qui hoc dicitis, insani qui credunt. Si ad internos instinctus, & Spiritûs sancti afflatus recurritis, planè ostenditis non scripturas judicem, sed vos, exemplo omnium hæreticorum esse; vos ergo, non scriptura pro tribunali sedetis. Nolumus, dicitis, ab Ecclesia, à Conciliis, à Traditionibus, à Patribus, à Miraculis, ab Antiquitate, à Martyribus, à Sanctis, à Legibus judicari, sed à sola scriptura; scripturam verò nolumus, nisi quæ nobis placet, nostrisque dogmatibus accommodari potest; nolumus Epistolas Jacobi, nolumus ad Hebræos &c. istis enim convincimur; nolumus etiam scripturas alias, nisi ad eum sensum, quem illi nos atteximus; nos testes, nos interpretes, nos judices, sic tamen, ut, quod nos judicamus, sentimûsque, instinctus, &

oracu-

oraculum Spiritûs Sancti appelletur. Quis hîc prudens non videat scripturam quidem prætexi, quod omnes hæretici fecerunt, sed tamen & reipsâ vos iudices sedere? Qui leges humanas hoc artificio vellet interpretari, aut potius ludere, nunquam audiretur, nec aliud, quàm impostoris nomen referret; quantò magis repellendus erit, qui hoc audeat in leges, & scripturas divinas, in quibus non de rebus fluxis caducisque, sed æternis agitur, & ubi idem est errare, quod perire? Denique nihil hic instinctus, & interna motio Spiritûs sancti Calvinitas juvat; si enim hoc instinctu Concilia, Ecclesia, Patres decepti sunt, & quod ipsi Spirituum veritatis putabant, Spiritus erroris fuit, quantò magis decipi illo fallique Calvinistæ possunt, tot nominibus Conciliis, ac Patribus impares? Quocumque ergo se vertant, nihil planè habent, quo fidem suam divinam esse, certamque, adstruere possint, sed semper, ut in lubrico sint fluctuèntque oportet, anchorâ destituti; idque, ut supra diximus, non in rebus tantùm nullius, aut minimi momenti, sed in summa rei.

V. Dabimus hujus rei luculentum exemplum. Gregorius Blandrata ex Sabaudia oriundus, & Michaëlis Serveti discipulus, (qui sub annum Christi MDXXX. Arianam hæresin tot seculis extinctam revocaverat) in Transylvaniam venit: isthic beneficio Medicæ artis, quam profitebatur, in aulam Sigismundi Principis, mox etiam in gratiam penetravit; nec multò post & Regis, & Petrovizii omnium in aula potentissimi Archiater evadit. Inter obsequia curasque medendi venenum paulatim utriusque animo infudit, mille dicendi blanditiis illecebrisque conditum; erat enim facundus. Facilè, ut fieri amat, à Rege in Magnates, & tandem in plebem malum vagari cœpit; Calvinistæ ac Lutherani novæ huic sectæ, & numero sectatorum, & potentiâ formidandæ, se totos opponere, & nihil non agere, ut crescentem opprimerent. Ariani certamen expetere, ut in publico conventu, ac Sigismundo præsentè palàm disputaretur, Rege in eas partes transituro, quæ suam causam meliùs probassent. Conventus ac disputatio Varadini habita. Pro Arianis Blandrata, & Franciscus David; pro Calvinistis Petrus Melvius, & Petrus Caroli dixere, aliique Lutherani. Initium à Francisco factum, qui, ut scripturam ferè omnem memoriâ tenebat, infinita ex sacris

N

litteris

98 Præluđ §. VI. Calvinistis & Lutheranis non favere

litteris congefferat, quibus Filium infra Patrem collocabat, videlicet: *Pater major me est: Qui est figura Patris: Quasi unigenitus à Patre: Omnia à Patre accepit: Non est meum dare vobis Regnum; sed quibus paratum est à Patre: De die illo neque Filius novit, sed solus Pater, &c.* Calvinistæ ex adverbo plures alios textus opponebant, quibus aperte dicitur *Filium & Patrem esse unum: Verbum esse Deum & æternum: esse principium & finem: Ab eo facta esse omnia, &c.* Non deerant Blandratæ distinctiones, quibus se ab his locis scripturæ liberaret, videlicet: *Verbum esse Deum*, metaphoricè & phrasi usitatâ scripturæ, quâ etiam homines excellenti virtute, aut potestate, Dii appellantur: sic *Mosen Deum Pharaonis* appellari; sic in Exodo dici, *Dius non detrahes*: sic in Psalmis, *Ego dixi Dii estis, & filii Excelsi vos omnes*. Filium in scripturis æternum vocari, non quia semper fuerit, sed quia multò ante alias creaturas; nihil verò in scripturis frequentius esse, quàm ut æterna dicantur, quæ diuturna, &c. Calvinistæ cum viderent ex solis scripturis Arianos vinci non posse, immo ex ipsis scripturis petere, quæ scripturis opponerent, & ita victoriam penes eos futuram, quos hæresis postulaverant, nec tamen convincere poterant, ad Patres & Concilii Nicæni explicationes, & Decreta confugiunt, istis repugnare, quæ Blandrata & Ariani proferrent. Hic enim verò Franciscus, qui pro Arianis pugnabat, captatâ occasione Calvinistas suis armis cædendi, palamque triumphandi, *Ecquid, inquit, ad artes magis que confugitis, quas vos ipsi in Catholicis jam olim damnastis? vos mihi Patres objicitis, qui à Patribus defecistis? vos Concilia, qui Concilia nullam fidem, nullam certitudinem adscribitis? vos hominum coetus mihi obtruditis, quos toties, ut mendaces, ut erroribus plenos respuistis? Papiſtas, ut video, redoletis, qui pro & impermixto Dei verbo ablegato ad hominum fragmenta, ad Patres, ad Concilia recurritis. Mihi credite, causam Dei, & vos ipsos vestramque fidem proditis, qui, ne veritati cedatis, oculos scripturæ clauditis, & ad traditiones, ac statuta hominum, hoc est, in hostium castra profugitis. Sinite, sinite auctoritatem nobis humanam opponere, quam & vos ipsi deridetis, & nos scripturæ haud parimur præferri.* Hæc oratione cum plausu acceptâ triumphârunt Ariani, Calvinistis partim silentio & pudore defixis (quid enim responderent suis armis, suis rationibus oppressi?) partim in Arianam hæresin prolapsis, quam & ipse Rex, & optimates amplexi etiam sunt. Acta hujus colloquii ab Arianis victo-

victoribus divulgata magno Catholicæ veritatis damno. *Ita narrat Maymburg. lib. 12. Arian. fol. 347.* Hoc aliisq. infinitis exemplis patet, nullam esse Calvinistis, & Reformatis infallibilem certamque normam doctrinæ, quâ & sibi, & aliis certò persuadeant, quæ credunt, aut potiùs quæ opinantur; nec produci ulla ratio poterit, quæ eorum Religionem magis certam magisque fide dignam, quam aliorum hæreticorum reddat.

Ex hætenus ergo disputatis facilè patet, propositiones in Conventu Parisiensi editas nec de summa rerum & fidei esse, nec rebus ac dogmatibus jam decisis certis que quidquam obesse, nec denique unitati veræ fidei obstare; meritò tamen refelli debere curari que, morbum enim afferunt, etli non mortem.



LIBER I.

PROPOSITIO I.



Rerum temporalium, & Civilium curam Principibus sæcularibus primariò & directò conceditam esse, ingenuè fatendum est: quos Ecclesia Christi ut advocatos protectores, & Justitiæ administros semper venerata est, tamquam illos, qui gladium à Deo acceperunt ad defensionem bonorum, vindictam verò malorum: tamquam septuaginta illos fortes qui custodiunt lectulum Salomonis, omnes accinctos gladius. propter timores nocturnos, & ad bella fortissimos: & denique ex vaticinio Prophetæ: tanquam nutritios & altores, quorum lacte & divitiis se impinguatam & agnoscit, & ingenuè profitetur: adeò ut ex

N 2

præ-